

1

AD
EXSEQUIAS FUNERIS
VIRI
MAGNIFICI, NOBILISSIMI, AMPLISSIMI
CONSULTISSIMIQUE,
DN. JULII
SURLANDI,
J. U. L. TINCLYTÆ REI
PUBLICÆ HAMBURGENSIS CON-
SULIS MERITISSIMI,
DECENTISSIMA POMPA D. III. AUG. PRO-
SEQUENDAS
INVITAT PERAMANTER,
EBERHARDUS ANCKELMANN.
LINGV. HEBR. PROF. PUBL. ET H. A. RECTOR.



H A M B U R G I ,
 Typis CONRADI NEUMANNI, Ampl. Senatus
 & Gymnasij Typographi.

CA

QVIETE MECUM QALUORXXI

JULIUS mensis abstulit nobis
JULIUM SURLANDUM, Vi-
 rum Magnificum, Nobilissimum, Con-
 fultissimum, Excellentissimumque.
 Tristis haec vox est, quæ in auribus no-
 stris personat, non curia modo sed ci-
 vibus etiam in luctum relolutis. Abstu-
 lit enim nobis Virum omnibus illis na-
 turæ dotibus abunde instructum, quæ consummatum
 Consulē exornant; abstulit in ipso ætatis flore; abstu-
 lit primo Consulatus anno, atque eo quidem paulo ul-
 tra medium exacto. **Q** ergo tristem vocem! o casum
 flebilem! Erat certe in Coniule hoc animi præsentia sin-
 gularis, scientia juris solida, facundia non mediocre, lo-
 lertia rara, ingenium excellens, iudicium acre atque ex-
 quisitum. Causas non minus prompte dedebat, quam
 easdem sagaciter assequebatur. Aderat etiam **Corpus Fr-**
um & succipuum; vigorque & vires, quæ tanto Munere
 in seros annos pares futuræ videbantur. Unde patria
 nostra non poterat non à tanto Viro uberrimam sibi mul-
 tiplicis boni segetem promittere. — Sed eheu! occubuit
 nunc ætate vegeta, inque ipsis Consulatus primordiis,
 successor ante hos septem menses, & quod excurrit,
 datus Optimus **CONSULI MULLERO**, cuius
 obitum, à quo recentes sumus, boni omnes adhuc de-
 plorant, porroque deplorabunt. Quid est quod in tan-
 to luctu mœstam familiam solari queat, nisi memoria
 beatæ immortalitatis, ad quam translatus **NOSTER**
 est? Quid est, quod animos illorum erigere fortiter
 poscit, quam recordatio salutis per Christum reparatæ,
 cuius **NOSTER** per vulnera communis totius huma-
 ni generis **REDEMPTORIS** factus particeps est?
 Non est, quod de utraque dubitemus. Ad sunt enim
 testes omni exceptione majores, sacrae paginæ Veteris

&

1570
 1570
 1570
 1570

& Novi Foederis, quārum auctoritas divina si nullo alio constaret argumento, sufficerent infinita illa, quae in istis habentur de Messia vaticinia, typi creberissimi, aliæque tam de exteris regnis quam de ipsa Ecclesia prædictiones, quae singula, licet quædam mille & amplius annis complemento anteriora, exactissime tamen, cum omnibus etiam minutissimis circumstantiis, tempore locoque definito, fuere adimplēta. Testantur autem quām luculentissime (a) corpus ē pulvēre quondam formatum reverti in terram, quemadmodum antea fuit, Spiritum autem reverti ad D E U M , qui illum primo homini inspiravit. (b) Piorum animas, post beatam analysin, tanquam pretiosissimā aliquod *κευθίαν*, à Christo suscipi, (c) versari cum eodem in Paradiso cœlesti, (d) adesse ei quām prætentissime, (e) atque dissoluto terreno hocce Corporis tentorio statim ab ipso obitu cancellari ædificium quod ex D E O est, domum non manufactam, æternamque in coelis.

Hæc vero illa sunt, quæ in adversis constantiam, in morte animum impavidum, denique in luctu solamen abundantissimum valent producere. Ecquis enim ē mortali Vita ad immortalem transire dubitet? Quis angustum fugarium cum augustissimo palatio, cum Paradise omnium bonorum affluentissimo, commutare recuset? Quis lætam istiusmodi catastrophēn non congratulatione potius quam lachrymis prosequendam judicet? Quare luctui statuendus est modus, atque mens ad divinæ Providentiæ piam Contemplationem convertenda, quæ uti minimarum quarumcunque rerum gerit curam, ita nihil patitur in sinceros sui Cultores proficiere, quod æterna illorum gaudia queat interturbare, aut minima ex parte imminuere. Id vero nobis agendum

(a) Eccl. XII. 7.

(b) Actor. VII. 59.

(c) Iunc. XXIII. 46.

(d) 2. Cor. V. 8. Phil. I. 23.

(e) 2. Cor. V. 1.

4

dum potius nunc est, ut memoriā beati **CONSULIS**,
quantum in nobis est, conservemus, atque actā vitā
illius, cuius non exiguam partem pro salute patriae in-
sumsit, grata mente recolamus.

Natus autem est Hamburgi d. 21. Decembbris Annī
Christi M DC LVII, parentibus non inclytis modo,
sed multa etiam laude dignissimis. Pater enim ipsi fuit
Vir Plur. Reverendus atque Clarissimus Dominus **JO-**
HANNES SURLAND, Verbi divini in Aede
Michaelitana Minister primarius, & Vicarius Pastor, va-
cante per aliquot annos loco isto post obitum Venera-
bilis Viri Domini M. Jodoci Edzardi Glanæi, primi in
templo isto Pastoris optime meriti. Quanta vigilantia
quantaque fide versatus hic **B. CONSULIS** nostri
Parens in officio suo fuerit, dicere nunc non attinet,
quandoquidem insignia ipsius merita adhuc in grata po-
steritatis memoria versantur. Matrem habuit **AN-**
NAM MARGARETAM Viri Experientissimi
Dni. **JULII JOHANNIS BOKELII** Med. Doct.
filiam, neptem vero Viri Excellentissimi Dni. **JOHAN-**
NIS BOKELII Med. Doct. Ducis Brunswicensis
Archiatris, & sub ipsa Academiæ Juliæ inauguratione
Professoris Med. postremum Hamburgensis Physici
Celeberrimi. Procuratunt ante omnia Optimi
Parentes hi, ut natus ex se filiolus secundum Ve-
teris Ecclesiæ praxin quam ocyssime à peccatis
sacro fonte ablueretur, **JULII** nomine indito; rectissi-
mè statuentes, sacram actionem, à qua gratia **DEI**
penderet, cujusque temerarius neglectus cum salutis pe-
riculo esset conjunctus, nullatemus esse differendam.
Cumque in primis statim annis egregios ingenii capa-
cissimi radios spargeret, simulque insignis ad literas
propensio in eodem appareret, facile adduci se passi
funt, ut studiis ipsum penitus consecrarent. Quare
Privatorum Præceptorum curæ absque mora fuit com-
missus,

5

missus, qui prima elementa instillarent, dehinc publicæ Scholæ ad aliquot annos traditus, cumque adultior esset factus, nactus in humanioribus atque Philosophicis Doctorem fuit Virum Plurimum Rever. atque Doctissimum Dnum **JUSTUM CORTHUM**, Verbi divini in templo Nicolaitano Ministrum hōctempore vigilantisimum, cuius nomen tanto minus silentii sapientia fuit involvendum, quia omni qua pars erat dexteritate in informando **NOSTRO** fuerat uetus. Neque tamen his studiis acquievit, sed Textui etiam Hebræo Originali, ductu communis nostri Praeceptoris & hujus temporis **ESDRÆ** Dni. Lic. **EDZARDI**, navavit operam, quandoquidem nondum plene tum ipsi erat definitum, Theologiæ an Jurisprudentiæ olim esset vacaturus.

His vero præsidiis instructus iter in Academias A. M DC LXXIV. est ingressus, Wittebergam ante reliquas adiens, ubi Philosophiam ulterius excoluit, tandemque Juris studio se totum dedit, quod & Giessæ continuavit, Leidæque, in quas relicta Witteberga se contulerat. Quadriennio autem in Academiis exacto in Galliam A. M. DC LXXVIII. abiit, ut Linguae istius pleniores notitiam acquireret, quam etiam est consecutus, insuperque **Flexiæ J. U. Licentiatu** titulo cum applauu Auditorum fuit auctus. Tum Germaniam peragravit Belgiumque, non tam jucunditatis & novitatis (quarum tamen neutra simpliciter improbanda) quam utilitatis studio tractus, utque cum scientia prudentiam sibi quoque acquireret, aliaque quæ usui & emolumento tum sibi tum Patriæ aliquando essent futura.

Natali solo cum sepe DEO propitio reddidisset, in medium ipsum protulerunt ingenii vigor, animique dotes reliquæ non minus excellentes quam copiosæ, quibus talem sepe Patribus Patriæ per id temporis spatium quo privatam coluit vitam, comprobavit, ut dignus omnino videretur, qui Republicæ regendæ maturius admoveretur. Itaque

B

A.

6.

A. M. DC. XC. d. 24. Jan. cum aetatum ætatis trigesimum tertium esset ingressus, in Amphissimum Senatorum ordinem est cooptatus; eoque munere per annos tredecim multa cum laude est functus; accedente etiam Anno M. DC. XCIV. & M. DC. XCV. graviori Prætoriae, qua ita se gessit, ut neque doctrina ipsius neque proutitudo in judicando unquam fuerit desiderata. Ad sunt publica documenta, quæ palam faciunt, maximam *mane* existimationem apud ipsos huius Proceres, adeo ut arduis quoque rebus expediendis idoneum ipsum judicaverint. Geminæ enim legationi ipsum adhibuerunt, quartum primam ad Potentissimum Secorum Monarcham A. M. DC. XCIX. d. 11. Nov. Holmiam suscepit, socio Viro Consultissimo Dn. JOHANNE VON SOMM, J. U. D. & Senatore Amplissimo, eamque ita obit, ut eorum quorum intereat votis abunde satisficerit, atque inter frequentes Congratulantum plausus d. 28. Augusti Anni M. DCC. in urbem fuerit redux. Altera ad Potentissimum Danie Regem ipsi fuit demandata Tychopolin, quia ipsa etiam nihil eorum intermisit, quæ ad Patriæ salutem facere ipsi quomodounque videbantur. Accesserunt tandem etiam sacerdii in Patria honores, fasces Consulares, qui elelati ipsi sunt d. 14. Dec. Anni M. DCC. II. maximo Civium numerio applaudente, huncque sibi **CONSULEM** in teros annos summamque senectutem expertente.

Sed redeundum ad res ipsius domesticas est. Contraxit enim inter matrimonium. Et primis quidem solennibus nuptiis copulavit sibi Fœminam Nobilissimam **SARAM BERENBERGIAM**, viduam **JOACHIMI ANKEEMANNI** duodecim Viri & Edis Petrinæ Curatoris jurati primarii, quæ quater ipsum fecit Patrem, filiorum trium uniusque filie. Illorum primogenitus fuit **JOHANNES**, qui ante annos plusculos adolescens optimæ spei in vivis effeldesit. Coeteri superstites sunt **JOHANNES JULIUS** & **FRIDERICUS JACOBUS**, una cum Sorore dulcissi-

7

cēfima ANNA MARGARETA; quos omnes fū-
gulosque divina clementia seruet & omnigena felici-
te beet. Mortua A. M. DC. XCI. d. 3. Jānuarii prima
Conjuge ad secunda vota trānsiit, atque exēunte anno
isto junxit sibi ELISABETAM WICHMAN-
NIAM, viduam B. HENRICI PAULI LEM-
MII, nati Parente Amplissimo atque Prudentissimo
Dno JOHANNE LEMMIO Senatore optime
merito, e qua tamen licet per octo annos sibi conjuncta
prolem nullam suscepit. A. M. DCC. d. 29. Nov. ter-
tias nuptias celebravit cum Nobilissima & omni Virtu-
rum genere decoratissima Virgine SUSANNA SOM-
MIA, filia HENRICI VON SOMM, Civis atque
Mercatoris in hac Civitate Primarii, è qua bellissimum
procreavit filium, sed in ipso partu mortuum. Lu-
ger illa nunc acceibe obitum mariti sui desideratissimi,
quem amore tenacissimo fuit complexa, & eo luget acer-
bius, quo familiariter & conjunctius cum eo vixit, con-
jugioque perbrevi, quod obitavissimam cum illo con-
versationem merito optavit esse diutissimum.

In mōrbūm incidit B. CONSUL d. 30. Maii, corre-
sus febri ardente, cujus tamen vis solerti cura Experientis-
simi quo usus est Mediciniterum fuit restincta, ipseque sa-
nitati restitutus, adeo ut etiam officio suo iterum vaca-
verit, Deoque pro recuperata valetudine prospera gra-
tes publicas persolvi curaverit. Verum haud multo
post idem morbus recurrunt, graviorque quam antea ip-
si incubuit, tanto impetu, ut intra paucos dies vires pe-
nitus consumerentur, ipseque de vita inciperet despe-
spare. Totum itaque se precibus dedit, rerum mundā-
iarum curis priorsus ex animo proscriptis, lacroque epu-
lio refici iudeceravit, quo accepto inter suorum preces &
sulpiria propriad. 28. Iulii post horam tertiam matutinam
animam DEO placide reddidit, cū liberis suos monitis
salutaribus instruxisset, Conjugi Carissimae supremum
Vale dixisset, atque annos Quadraginta quinque men-
ses quinque & dies septem vivendo absolvisset.

Gesit fasces Consulares dum viveret; nunc ipse in
fasci-

fasciculum viventium est relatus, qui honoris multo amplior est quam Omnia Regum sceptra atque diadema; Julium Mensem Augustus excipit; turbulentissimaque sub **JULIO CAESARE** tempora tandem tranquillus rerum status sub **AUGUSTO** est consequitus; at deo ut Svetonio dicente, Jani quoque templum sub eodem ter fuerit clausum; quod altæ pacis apud Romanos signum erat. Quid? Princeps pacis sub **AUGUSTO** fuit natus; & pax inter terris ab ingenti Angelorum choro solenniter fuit promulgata. **NOSTER** quoque ex **JULIO** nunc factus **AUGUSTUS** est. Vivit enim vita vere augusta, fulgetque honoribus augustissimis; qui cedunt in præmium omnibus, quorum beatus fuit ex hac vita exitus. Translatus è militante Ecclesia est in triumphantem, in habitaculum pacis, in tentoria secundissima, in quietem tranquillissimam, fruaturque consummate illa pace, quam Princeps pacis attulit, meritisque. Offa quoque ipsius quiescunt immoliter, beatisque ejus manes, beatam manent resurrectionem in cuius communem spem terræ matris hodie commendabuntur, inferendi conditorio, quod in basilica S. Michaëlis est, ad quam pompa ex ædibus ipsius procedet. Magnificus Reipublicæ noster Senatus, Maxime Venerandus Symmistarum ordo, cæterique cuiusvis loci atque dignitatis Viri plurimum honorandi non tam obtestatione nostra, quam pietatis officiique religione adducti, frequentes convenient, ac comitatu condecorabunt exequias, & pro incolumentate Patriæ vota facient. Summi Nūmen ardenteris precibus venerantes, ut turbem nostram respicere, & Pium, justum, sapientem, atque cum denique **CONSULEM**, cui nihil à commodis publicis sit sejunctum, clementissime laighthi non oportet dedignetur. R. P. d. 3. Augusti A. M. DCC. III.

